



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Et Obedientiæ tenax.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

cabilis vigor: vt coniectare proclive sit quemadmodum acceperit domesticum aduersarium validum, ac robustum, qui nec prostrato quidem, ac moribundo pepercit. In his ergo quæ dura, & odiosa veteri Adam acciderent, egebat obedi- entiæ fræno, perinde ut calcaribus in arridentibus atq; blandis. Ad extremum vsq; habuit in ore, nihil à Præsidibus vnquam ex propriæ inclinatione voluntatis petendum. Id quod mirum ipse in modum seruabat. Quod si quando quid velut necef- sitate adactus significaret, vtcunque caderet, ac- quiescebat in eorum, ad quos res attinebat nutu, nullo addito verbo, nullo erumpente indicio, vn- de suspicari liceret, non esse in omnes partes con- tentum.

*Erebedientia
tenax.*

*Et summa hu-
militatis, atq;
levitatis.*

Perluebant vbiique recondita animo Christianæ humilitatis, ac submissionis decora, maximeq; in sermonis, ac vocis modo. Non modo imperiosior nulla, aut iactantior vox elabeba- tur vnquam ex ore illo sancto, sed identidem in- simæ personabant preces, quibus ab infimo quo- que, si qua eos ratione offendisset, vt sibi ignosce- rent, obsecrabat. Miserabatur intimo sensu, qui suis malis aderant, socios; eosq; consolans aiebat, Fratres, ferte patienter; præmium, ac mercedem reddet

